


Exercitatio. Theologica De Adoptione. Divina Universim. Spectata

Rostochii: Adler, 1753

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823997634>

Druck Freier  Zugang






La-1089^{1-22.}
23^{2.}

Wig. Anat. Lit. g.

V. 257



RECTORE. ACADEMIAE. MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO. PRINCIPE. AC. DOMINO

DOMINO. FRIDERICO


DVCE. MEGAPOLITANO

PRINCIPE. VANDALORVM. SVERINI. AC. RACEBVRGI, COMITE

ITEM, SVERINENSI. TERRARVM. ROSTOCHIL. ATQVE

STARGARDIAE. DYNASTA

PRINCIPE. AC. DOMINO. NOSTRO. CLEMENTISSIMO



EXERCITATIO. THEOLOGICA

DE

ADOPTIONE. DIVINA

VNIVERSIM. SPECTATA

QVAM

AVXILIANTE. SVMMO. NVMINE

CONSENTIENTE. MAXIME. VENER. THEOLOGORVM

ORDINE

PRAESIDE

BERNHARDO. FRIDERICO

QVISTORPIO

PHIL. ET. S. S. THEOL. DOCTORE. HVIVSQVE
PROFESSORE. PVBL. ORDINARIO. ET. DISTRICTVS


ROSTOCHIENSIS. SVPERINTENDENTE

D. XXXI. DECEMBRIS. A. O. R. CIOIOCCCLIII

PVBlice. TVEBITVR

FRIDER. IOACH. STEPH. HANE

ECCLESIAE. BELIZENSIS. PASTOR. ELECTVS.



ROSTOCHII

Typis I. I. ADLERI, SEREN. DVVIS ET ACAD. TYPOGRAPHI,

EXERCITATIONIS, THEOLOGICAE
DE
ADOPTIONE. DIVINA
VNIVERSIM. SPECTATA
ARGVMENTVM,

- §. I. **E**XERCITATIONIS huius cum dissertationibus antecedentibus connexio et scopus.
- §. II. QUID sit adoptio generatim? duo eius criteria praecipua. actus eius formalis quis et qualis sit?
- §. III. QUID adoptio diuina generatim? num et quo sensu homines ante adoptionem DEI filii vel sint, vel non sint? est actus DEI iudicialis, respectu hominis externus. cum regeneratione et renouatione confundi non debet. contra BERLEBVRGENSES.
- §. IV. SCRIPTVRA. S. adoptionis actum et statum saepius per descriptiones exprimit. quinquies tamen vtitur nomine *υιοθεσια*, quod ex scriptoribus graecis profanis illustratur.
- §. V. QVIBVS vocibus vtantur PATRES graeci? num HESYCHII locus in mendo cubet? num *υιοθεσια* baptismum? num susceptionem ex baptismo denotauerit? de nuptiis propter cognationem spiritualem in ecclesia antiquiori SAEC. VI. et apud PONTIFICIOS prohibitis.
- §. VI. NUM adoptio fiat per nouam generationem et intra animam? num per infundationem FILII, DEI in anima? num vox *υιοθεσια* denotet *eine Eingründung oder Grundsatz des Sohns.*
- §. VII. VTRVM nomen *υιοθεσια* significet *die Versetzung in den Sohn Gottes?* num vnio relatiua cum CHRISTO huc faciat? num pia mens, emphaseos et aedificationis studium? num
verba COL, I, 13,

§. XII.

- §. IIX. ADOPTIONIS. HVMANAE exempla ex S. litteris peti possunt, vt HAGARIS. GEN. XVI. de facti huius moralitate. de verbis: *ex illa aedificabor.*
- §. IX. SARAM imitata est RACHEL. quid sibi velit locutio: *vt pariat super genua mea?* num partus simulatus intelligatur, vt HEINECCIUS opinatur? num ad filios a leuiro procreatos respiciatur, quod credit STACKHOVSE?
- §. X. LOTHVM ab ABRAHAMO adoptatum fuisse, tradit FLAV. IOSEPHVS; sed praeter et contra SCRIPTVRAM.S.
- §. XI. DVO, quae supersunt, adoptionis hebraeorum exempla, in S. litteris memorata. 1. *filiorum IOSEPHI*, quos IACOBVS adoptauit GEN. XLVIII. disputantur nexus c. 4. et 5., nec non rationes adoptionis c. 7. data est iis partim ius filiorum, non inuocatio, contra VVLGATAM et ROMANENSES: partim singulis peculiaris promissae terrae pars; nec non IOSEPHO tacite ius primogenituræ. 2. *ESTHERAE*, quam adoptauit MARDECHAI, non vxorem duxit. contra LXX. et RABBINOS quosdam.
- §. XII. AEGYPTIIS adoptionem non ignoratam fuisse, exemplo MOSIS a filia PHARAONIS adoptati docetur ex S. litteris, reiectis PHILONIS et IOSEPHI additamentis MOSEN simul regni haerodem et PHARAONIS successorem scriptum esse, explicato dicto HEBR. XI. 26.; nec non GENVBATHVM a THACHPANESA, PHARAONIS coniuge, 1 REG. XI. 19. 20. adoptatum fuisse, negatur contra LINDHAMMERVM.
- §. XIII. GRAECIS immanis infantum expositio familiaris; adoptio eorum rarior fuit, si discesseris a THEBANIS, et limitibus, quibus expositio circumscripta fuit. adulterorum autem adoptio graecis longe familiarissima fuit.
- §. XIV. ADOPTIO. ROMANORVM antiquior, eiusque varietas; nec non IVS INIANI de ea constitutio postrema recitantur.
- §. XV. DE. ADOPTIONE. DIVINA vniuersim nil addi potest, praeter distinctionem eius in ecclesiasticam, spiritualem et gloriosam. triplicis huius adoptionis connexio et diuersitas ostenditur.

EXER-

EXERCITATIO. THEOLOGICA

DE

ADPTIONE, DIVINA, VNIVERSIM SPECTATA.



S. I.



VARIA notione filii biblica praemissa a), *filios DEI*, quos litterae sacrae habent, percensui, inque classes suas descripsi, a **CHRISTO** ad angelos, et ab his ad homines progrediens. haud nuda recitavi nomina, sed peculiare simul enodavi respectus, quorum intuitu diuersa, imo eadem subiecta, filiorum **DEI** adpellatione insigniuntur b). ita, vt potiora duntaxat repetam, altera **DEI-TATIS** persona, **DEI** filius vocatur iuxta diuinam naturam propter aeternam a **PATRE** generationem; iuxta humanam naturam propter vnionem personalem. angeli sunt **DEI** filii vniversim spectati, quoniam **DEO** originem immediatam debent; sigillatim boni, quia in obsequio perstiterunt, et confirmatione in bono, gloriaque coelesti exornati sunt. homines dicuntur filii **DEI** a creatione siue immediata, vt **ADAM**; siue mediata, vt omnes eorum posterum. ex iisdem, qui rem ciuilem administrant, specialiori significato filii **DEI** audiunt, quandoquidem officium eorum **DEI** exprimit imaginem, et imperium in
A sub-

a) *diff. de notione filiorum et filiorum DEI biblica. 1751.*

b) *exegefi theol. notionis biblicae filiorum DEI. 1752.*

subiectos, quod obtinent, a domino dominantium ipsis tamquam filiis concessum est. in his, quae ad homines se referunt, substiti, sed nondum omnia exhausti. memorabiles occurrunt respectus, qui hominibus filiorum DEI decus, titulumque conciliant, et, cum meum institutum proxime adtingant, latius eugluendi sunt. possem, sacro codice praeunte, iam retinere filiorum DEI nomen, eoque sequentem inscribere deductionem. at quoniam adoptionis gratia hanc telam exorsus sum, adoptionis vocabulo, quod SPIRITVI. S. non minus familiare, theologis receptum est, DEI filios includit, ab iis, qui praecefferunt, discriminat illos, quorum consideratio nunc succedit, pertexam eandem. generaliora vero hac vice solummodo dabo, quae partim specialiore illustrent tractationem, velut in ea supponenda, partim dicendorum, quae supersunt, exhibeant summam atque seriem.

§. II.

ADOPTIONIS vocabulum communi sermone tritum est, indeque notio illius neminem facile praeterit. quando de adoptione verba fiunt, quis ignorat, in filium aut filiam adsumi personam, quae talis antea, videlicet per naturam, non fuit. specialius nonnumquam veteres loquuntur scriptores. sic A. GELLIVS inquit: *quum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per praetorem fit, aut per populum. quod per praetorem fit, adoptatio dicitur; quod per populum arrogatio a).* sed ista ad instituta gentis romanae pertinent, quae hic in censum venire nequeunt. duo mihi sufficere possunt adoptionis requisita, vel criteria; vt adoptandus 1. antea, siue per naturam, filius non fuerit. quid illius adoptione opus esset, qui iam antea talis fuit? 2. vt in filium adsumatur. adsumptione ista deficiente, non posset adoptantis filius esse, cum per naturam non sit filius, nec praeter adsumptionem alius inuentus sit modus, quo quis filius alterius esse queat. paucis haec exprimit PLINIUS

VS

a) *noctium aricar. L. V. C. XIX. p. 152. edit. amstel. 1666.*



VS. CAECILIUS. SECVNDVS, a PLINIO. SECVNDO adoptatus, adoptati inde nomen gerens: *auunculus meus idemque per adoptionem pater* b). dum enim auunculum vocat, filium natura se esse, negat; dum patrem per adoptionem nominat, filium adoptiuium se profitetur. videlicet generationi opponitur adoptio. quamuis namque ad filios vtraque terminetur, adeoque obiecto conueniat, circa quod versatur vtraque, actu tamen formali distinguitur et sibi opponitur. filius natura talis fit per actum physicum, intrinsecum, per generationem, per productionem; sed adoptio fit per actum extrinsecum, moralem, aut ciuilem, quo, qui filius non erat, secundum leges, quae hunc actum vel permittunt, vel definiunt, priuato arbitrio, aut publica auctoritate, filius constituitur, vel adpellatur. sicut autem actus physicus per generationem, relationem inter patrem et filium producit; ita moralis ille actus per declarationem eiusdem est efficaciae. datur pater, datur etiam filius per adoptionem, seu, vt GELLIUS excitatus scribit, pater adoptator et filius adoptiuus.

S. III.

QVOD si haec ad diuinam transferantur adoptionem, quid ea sit generatim et abstracte considerata, facile pellucet. quando namque DEVS hominem adoptat, eum, qui filius natura non est, in filium adsciscit. quotquot igitur a DEO adoptantur, per naturam antea filii eius haud fuerunt. interferi posset, homines secundum naturam seu essentiam, quam a DEO habent, DEI filios esse, et a memet ipso DEI filios adpellatos esse a); sed ambiguitate, qua naturae nomen laborat, nemo se impediri patietur. alia est naturae ratio, prout a DEO proficiscitur; alia prout per lapsum est deprauata, quae illius diuersitas ob oculos nobis perpetuo versari debet, ne in FLACIANORVM incidamus errores. *credimus, docemus, et confitemur, quod summo studio hoc di-*

A 2

scrimen

b) *epistolarum L. V. epist. VIII. p. 308. edit. lugd. bat. 1669. comp., quae CATANAEVS sub initium p. I. praefatur.*

a) *exegefi theol. notionis filiorum DEI §. XVI. XVII. p. 55. 60.*



scrimen sit conseruandum b); et quidem ad retinendum hoc discrimen mouemur, vrgemur atque cogimur praecipuis articulis christianae fidei nostrae, in primo enim articulo de creatione docet sacra scriptura: DEVM non modo ante lapsum humanam naturam creasse: verum etiam eandem, post lapsum esse DEI opus et creaturam c). praecipui enim articuli fidei nostrae christianae magnas grauissimasque causas adferunt, quare differentia inter naturam seu substantiam hominis (per peccatum corrupti) et inter ipsum peccatum (quo homo corruptus est) constituenda et retinenda sit d). quae cum ita se habeant, sua sponte consequitur, homines omnes DEI filios esse secundum naturam, quatenus per eam intelligitur ipsa essentia humana; non autem esse filios DEI secundum naturam, si eo nomine veniat corruptio naturalis, quae per et post lapsum adcessit. DEVS omnium hominum est creator, qui ipsorum animam corpusque producit, ideoque omnium pater per creationem vocatur MAL. II. 10. quare nos omnes non possumus non DEI nos filios secundum naturam seu essentiam profiteri, etiam si filiorum DEI nomen generali hoc significatu in sacro codice non legatur pater et filius sunt relata, quorum vno posito, simul ponitur alterum. dulcissima et praestantissima est filiorum DEI adpellatio, et quae regenitis tribuitur adoptio IOA. III. 1. ; sed huic nil praeiudicat, aut derogat cognomen filiorum DEI secundum naturam, quia diuersus respectus omnem tollit pugnam e). id autem simul, et a me quam maxime sedulo vrgendum, homines, cum iuxta naturam corruptam spectantur, non esse DEI filios non omnes quidem homines sunt filii diaboli, sensu speciali et biblico, quo pharisei ex patre diabolo esse dicuntur IOA. VIII. 44., aut ELYMAS, magus, filius diaboli increpatur ACT. XIII. 10., quod tantum est hominum praefracte, continuo, extreme et peruicaciter profligato-

b) FORM. CONC. EPIT. ART. I. p. 573.

c) FORM. CONC. ARTIC. I. SOLID. DECLAR. p. 645. 646.

d) l. c. p. 650.

e) conf. die Vollständige Nachrichten von Acad. Schriften 1752, P. X. p. 937. 938.

✻ ✻ ✻ ✻

figuratorum, in quibus tamquam filii incredulitatis operatur et dominatur spiritus malignus EPH. II. 2. 3., qui et a diabolo spiritualiter obsessi vocantur IOA. XIII. 27.; attamen sensu generali et latiori, quo omnes, qui sunt extra gratiae statum, sub potestate diaboli constituti sunt, et infantes quoque theologis nonnullis spiritualiter obsessi dicuntur. ex hac igitur naturae corruptae consideratione sua sponte consequitur, mortalium neminem secundum naturam DEI filium esse, sed omnes, qui DEI filii euadunt, a DEO adoptari, seu non nisi per adoptionem DEI filios fieri. adoptio autem illa diuina fit per actum DEI moralem, respectu hominis extrinsecum, et iudiciale, eodemque momento et modo, quo fit iustificatio, quam forensam DEI actum, respectu DEI internum, respectu hominis externum, esse, et ab adoptione non nisi conceptu nostro distingui, nemo nescit. quando homines igitur adoptantur, in DEI filios adsumuntur, vel pro filiis DEI declarantur. dicitur iis: non populus meus vos (estis): dicitur illis, filii DEI uiui estis, Hof. I 10. videte, quantam dilectionem dederit nobis PATER, ut filii DEI vocemur (IOA. III. 1. ambigue BERLEBVURGENSES f): Man muss nicht auf eine bloss eingebildete und unkräftige äusserliche Annehmung fallen, wenn man von der göttlichen Kinds-Annehmung höret oder liest wodurch der ewige Erbarmer busfertige Seelen zu Kinder aufnimt. Die ganze Schrift mit allen ihren Zeugnissen ziele auf das Gegentheil einer wahren Veränderung. quod si nil aliud sibi volunt, quam quod conuersio et regeneratio, nec non renouatio cum adoptione coniunctissimae sint, illae tamquam actus gratiae antecedentes; haec tamquam consequens inseparabile, re ipsa reprehendi non possent; attamen antecedens et consequens adoptionis cum adoptione ipsa confundere haud fas est. adoptio formaliter nec in conuersione, nec regeneratione, nec in renouatione consistit, sed ab omnibus iis quoad rationem formalem differt, licet priores tamquam antecedens; posteriorem tamquam consequens supponat. quando autem iisdem g) ad verba: *ibr habt einen kindlichen Geist empfangen*

A 3

getz

f) P. VI. biblior. 1. P. II, N. T. p. 617. b,

g) l. c. p. 263. a,

gen, ita commentantur: da ihr recht zu kindern gesetzt und gepflanzet seydt von Gott, der uns nicht zum Zorn gesetzt, 1 Thes. 5, 9., welche Materie in uns stecket. Es ist nicht eine bloße Annehmung an Kindes-statt, sondern eine solche, daß er uns auch zu Kindern setzet, ia zu Kindern vorher macht und gebiehet durch den H. Geist, den Gott will daß wir dauon bringen als eine Beute aus dem Kampf, eos a fanaticismo prope abesse, verba cuiuslibet facile persuadent.

§. IV.

IN apricum haec magis proferent voces et phrasas sacrarum litterarum, quibus adoptio diuina effertur. plerumque SPIRITVS. S. vtitur quadam descriptione, qua mox actum, mox statum adoptionis exprimit. actum adoptionis vocat actum DEI benignissimi, quo nos filios DEI adpellat, seu pro iis declarat, de CHRISTO inquit IOANNES c. L. 12.: dedit illis potestatem, ut filii DEI essent (nempe credentibus in nomen ipsius). similia testimonia § antecedente iam vidimus. statum vt plurimum dicit: esse filium DEI, v. g. 1. IOA. III. 2 dilecti, iam filii DEI sumus, et saepius. maxime memorabilis est vox υιοθεσις, quae in N. T. quinquies legitur ROM. VIII. 15. 23. IX. 4. GAL. IV. 5. EPH. 1. 5 a). composita est ex υιός et θεός, quae voces componentes licet alias non ignotae sint quoad ambo vocabula, propter eos tamen, qui vocem compositam sinistre interpretantur, non inutiliter in grammaticam illius significationem inquiritur. ex graecis priscis, quibus υιοθεσις nomen familiare haud fuit, pertinet huc verbum υιόν ποιῆσαι vel παῖδας εἰσποιῆσαι, quod significat adoptare. vtitur ISOCRATES oratione aeginetica, quae tota de adoptione tractat et cuidam a THRASYLOCHO adoptato praescripta fuit, iisdem frequenter, ingrauescente morbo, quum iam nullam vitae spem haberet, testibus aduocatis, me adoptauit (υιόν μ' ἐποίησας) et cum sororem, tum facultates suas mihi dedit. porro: hac lege, Aeginetae, THRASYLOCHVS me adoptauit (υιόν μ' ἐποίησας) ciuem suum et amicum, et si genus spectetis, siphniorum nemine deterio-

rem

a) vid, LEIGHII critica S. N. T. p. 690. edit. 1706.

* * *

rens; et eodem modo secum institutum et educatum. quare haud scio, quomodo legem magis obseruare potuisset, quae iubet eiusdem conditionis homines adoptari (παῖδας εἰσποιεῖσαι) b). graecis pariter vsu venit ἑὸς θεῖος, τὸς ποιητὰς adoptatos adpellare, vt SVIDAS c). adoptionem enim θεῖσι i. e. positionem vocant graeci: et qui adoptatus olim ab AEGAEO, THESEVS, id circo dictus apud PLVTARCHVM in vita THESEI, vbi et ipsum AEGAEVM PANDONIS dicit thetam, id est, adoptiuum d). testem habeo APPIANVM alexandrinum e), qui de OCTAVIO, CAESARIS ex fororis filia nepote, ab hoc adoptato haec refert: *confestim coepit nominari CAESAR, cum alioquin ROMANIS sit mos, assumere nomen patris adoptiui* (τὸς θεῖος ἢ θεμέτων ὀνόματτα): hic vero id omnino mutauit, pro OCTAVIO OCTAVII filio dictus in perpetuum CAESAR filius CAESARIS. ad quod nomen mox, non aliter quam ad verum filium, undique magnus concursus fuit. hinc HENR. STEPHANVS f): θεῖος accipitur pro υἱοθεῖα. nam θεῖσαι υἱὰ; et υἱοθεῖν eius est, cui nullos natura dedit liberos, sed qui alienos in suam familiam adsciscit et adoptat. pluribus HERODOTI et PLVTARCHI testimoniis, quae huc referre nolo, ista confirmant HENR. STEPHANVS g) et, qui hoc aetate superior est GVIL. BVDAEVS h).

S. V.

AB his parum abeunt quoad voces ecclesiae primitiuae doctores, qui PATRES audiunt: eas tamen ad diuinam transferunt

b) vid. ISOCRATIS *Aegineticus oration. et epist. iunctim, editar.* p. 762. 763. edit. geneu., 1651.

c) v. θεῖος et θεῖον

d) vid. D. IOANN. PHILIPP. PFEIFFERI *antiquitat. graecar.* L. II. C. XVII. p. 208.

e) *romanar. historiar.* L. III. p. 589. edit. LVGDVN, 1588.

f) *thesauri linguae graecae* T. III. p. 1475.

g) l. c. v. θεῖος et θεῖος.

h) *dictionar. graeco-lat.* p. 847. edit. 1562.

❁ ❁ ❁

runt adoptionem, et hanc simul declarant. praefert HIERONYMVS a) adoptioni ὑιοθεσίαν: adoptio, ait, significantius graece dicitur ὑιοθεσία. notis subiectis haec redditur ratio: nam adoptio nomen est generalius, sed ὑιοθεσία proprium est adoptioni filiorum, ab υἱός et τῆθης, qua imaginamur, aliquem esse filium, et in locum filii substituimus. ad posterius verbum potissimum respicere stridonensem, persuasum habeo, siquidem PATRES, quibuscunque vobis vtantur, vrgent maxime, adoptionem diuinam esse actum gratiae. vnum excitabo ATHANASIVM, qui verbum ὑιοποιῆσαι, et nomen ὑιοποίησις, sicut et alii PATRES, crebrius vsurpat. ad SERAPIONEM, episcopum, contra SPIRITVS. S. hostes scribit b): nos SPIRITVM. S. accipientes, filii reddimur (ὑιοποιούμεθα). cum ergo per SPIRITVM filii reddimur (ὑιοποιούμενοι) certum est, quod in CHRISTO nomen liberorum DEI obtinemus. inter charismata supernaturalia recensetur adoptio (ὑιοποίησις) c). confert homines cum CHRISTO, homine, vt filios naturales (κατὰ φύσιν) et adoptatos; addens: in nos adoptione (θέσει) et per gratia n efficimur filii (γνώμεθα υἱοὶ) etc. d). idem repetit, distantiam inter filium DEI, vt DEVM infinitum et nos homines ostensurus; nos autem adoptione et gratia (θέσει καὶ χάριτι) filii reddimur (ὑιοποιούμεθα) per eum e). ex quibus adparet, iuxta ATHANASIVM ὑιοποίησιν per θέσιν fieri. plura non addo, quae huc praeterea referri poterant, summatim complectitur HE-SYCHIVS f): ὑιοθεσία, ὅταν τις θετὸν υἱὸν λαμβάνῃ: καὶ τὸ ἅγιον βάπτισμα: si quis adoptiuum filium adsumat: etiam sanctus baptismus. mox addit: ὑιοθετεῖ, ὑιοποιεῖ, οὐ φύσει, ἀλλὰ θέσει: adoptat, filium

a) opp. T. III. p. III. et III. edit. LIPS. 1684.

b) epistola ad SERAPIONEM, p. 193. opp. T. I. edit. COL. 1686

c) orat. I. contra ARIANOS, T. I. p. 283.

d) orat. III. contra ARIANOS, T. I. p. 432.

e) orat. IV. contra ARIANOS, p. 472.

f) dictionar. graeca, p. 726. edit. HAGENOV.



filium facit, non natura, sed adoptione. perspicue ista HESYCHII recensio commonstrat, quae sit potestas vocum, quibus graeci, figillatim PATRES ecclesiae adoptionem vocarunt. quae autem is de sancto baptismo addit, obscuritatis nonnihil habere videntur. SALMASIVS nodum secat, sibi persuadens, pro καὶ legendum esse κατὰ, vt sensus sit ὁμοθεσίαν dici, cum quis in baptismo est ἀναδοχῆς, filium ex lauacro suscipit. SVICERVS g) contra nil mutandum esse, censet, partim quod susceptus ex baptismo filius adoptatus dici nequeat; partim quod a PHOTIO et DIONYSIO areopagita ὁμοθεσία de baptismo vsurpetur. neutri ex toto adsentire audeo, vtrique vero ex parte quadam calculum addo. locum in mendo cubare, et καὶ cum κατὰ permutandum esse, vt credam, vix adduci possum. codices magno consensu receptam sequuntur lectionem, nec in aliquo varietatem hic deprehensam esse, recordor. baptismum hic adpellari ὁμοθεσίαν, procul omni haesitatione adfirmant BVDAEVVS h) atque STEPHANVS i), qui posterior hanc subiungit rationem: HESYCHIVS baptismum quoque vocari tradit ὁμοθεσίαν. nam in eo valedicimus ADAMO parenti nostro et in DEI quasi familiam transmimus. quodsi SALMASII recte se haberet emendatio, HESYCHIVS vel generalem ὁμοθεσίας notionem prorsus omisit, quod ab ipsius instituto et praxi alienum est; vel his verbis innuit, de solo baptismo, non vlla alia re ὁμοθεσίαν dici, aut dictum fuisse, quod haud temere quis adfirmaverit. quodsi autem susceptio ex baptismo, prout SALMASIVS opinatur, ὁμοθεσία recte salutatur, quid celerius et promptius fieri potuit, quam vt idem nomen baptismo metonymice inditum sit, aut ab HESYCHIO inditum fuisse, creditum fuerit, quandoquidem baptismus et susceptio eodem tempore peragebantur. connexorum autem alterum nomen su-

B

um

g) thesauro ecclesiast. T. II. v. ὁμοθεσία, p. 1353.
 h) diction. graeco-lat. p. 1835. a.
 i) thesauri L. graecae, T. III. p. 1735. b.



um haud raro cum altero communicat, quod excipit SVICERVS: is, quem quis ex S. baptismatis fonte suscipit, non potest dici *θεσος* *videt*, filius PATRVM s. ecclesiasticus refellit, etenim patris olim haud levis imposita erat obligatio, quandoquidem pollicitandum ipsis erat, se perpetuos baptizati adulti obseruatores, morumque inspectores, ac vitae eius vniuersae curam gesturos esse. vnde contingit, vt non modo susceptoribus patrum spiritualium, et susceptis filiorum et filiarum spiritualium tituli darentur, verum ad iura quoque christiani doctores pro-uocarent adoptionis, quam per baptismum contrahi, autumabant k). quid igitur impedit, quin is, quem quis ex baptismo suscepit, *θεσος* *videt* vocari possit susceptoris? PHOTII verba SVICERO potius aduersantur, quam fauent. quando enim ad BASILIVM, macedonem, hominem nequissimum scribit: *illud vinculum, quo nos filii optimae spei adoptio copulauit, ipse SVICERVS haec interpretatur, vt *υιοθεσια* ad susceptionem ex baptismo, non baptismum ipsum referatur: hic inquit, *παιδος υιοθεσια* no-tat susceptionem ex baptismo, nam de sacro fonte BASILII filium, ad-huc in minori fortuna constituti, susceperat. PHOTIUS *αυαδοχου* PSEVDO-DIONYSIVS, quem sub finem testatur SVICERVS, dif-ferre baptismum ab adoptione distinguit, tamquam causam ab effectu, fontem baptismalem vocans matrem *της υιοθεσιας*. ostendunt ista nobis, quod *ως εν παροδο* monere liceat, primam oc-casionem nuptiarum vetitarum, quarum rationem pontificii ex-cognitione repetunt spirituali, contracta siue per baptismum, siue per confirmationem, postquam ea a baptismo separata fuit. *impedimentum cognationis spiritualis, non ex iure naturae, sed ex ec-clesiae arbitrio pendet*, scribit BELLARMINVS l). *ecclesia autem*
*not**

k) vid. I. H. BOEHMERI, magni quondam ICTI. HALENSIS, *ius ecclesiast. PROTESTANTIVM, T. IV. TIT. XI. de cognatione spirituali, p. 107. seqq.*, qui p. 110. CANGIVM, aliosque adlegat.

l) *controuerfiar. christianae fidei T. III, de matrimonii sacramento, C. XXX p. 1438. sq.*



non quamlibet spiritualem cognationem impedimentum esse voluit, sed eam solam, quae ex baptismo et confirmatione oritur. auctoritatem illi primus addidit m) IVSTINIANVS hac lege: ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, siue alumna sit, siue non, e sacrosancto suscepit baptisate etc. n) confirmauit hoc interdictum synodus TRVLLANA inclinante saeculo VII conuocata, et latius protulit. quousque id in ecclesia LATINA profensum fuerit, disci potest ex corpore iuris canonici o), quod TRIDENTINI correcturi, inter se ipsos diu altercati sunt p). tandem plurimorum suffragiis hoc constitutum est decretum correctorium q). vnus tantum (siue vir, siue mulier) vel ad summum vnus et vna baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. leges eiusmodi, quae cognationem metaphoricam et propriam miscent, et ab illa ad hanc argumentantur, merito repudiat ecclesia euangelica r).

§. VI.

QVAE ex profanis auctoribus graecis, et scriptoribus ecclesiasticis in medium prolata sunt testimonia, notionem adoptionis, quam §. III. proposui, vsui loquendi graecorum ex affe respondere, tam euidenter probant, vt mirari quis posset, aliam

B 2

cuidam

m) vid. IOSEPH. BINGHAM *origin. ecclesiast. VOL. IV. p. 300 sq.*
n) *codicis L. V. TIT. IV. LEGE. XXVI. p. 295. a.* edit. ALTENBVRG. 1751.

o) *decretal. L. IV. TIT. XI. p. 565. seqq.* edit. COLON, 1631.

p) vid. PETRI. SVAVIS. POLANI, seu vero nomine PAVLI SARPIL *historia concilii tridentini L. VIII. p. 674 seqq.* edit. GORINCHEM. 1658, quibus addantur SALIGII. P. II. *hist. conc. trident. p. 561. seqq. P. III. p. 69. sqq.* et quae ei adhaerent *acta concil. trident. p. 321. sqq.*

q) *concil. trident. SESS. XXIV. decreto de reformatione matrimonii. C. II.*

r) vid. D. EVDDEVS *instit. theol. dogm. L. V. C. I. §. IX p. m. 1135!*



cuidam in mentem venire posse, et *υιοθεσιαν*, quae N. T. tabulis memoratur, in significatum peregrinum a nonnullis tractam esse. BERLEBURGENSES verba PAVLINA. GAL. IV. 5. hoc illustrant commentario a): *damit wir die kindsannehmung (die Grundsetzung des Sohns zur kindschaft) empfangen.* de nomine kindsannehmung non habeo, quod ipse moneam; vtrum id autem praestet nomini *kindschaft*, quo b. LVTHERVS constanter vtitur, et germanica ciuitate donatum vnquam sit, arbitrentur iudices periti, qui linguae nostrae vernaculae me peritiores sunt. sed quae subiunguntur, satis obscura sunt, nouaque indigent explicatione. statim ea subiungitur; sed OEDIPO opus est, qui monstrosa aenigmata rite interpretetur. quantum ex verbis coniectando hariolor, hic est nexus sententiarum paradoxarum, adoptionem non absolui sola adsumptione hominum in filios, sed intra animum constitui per regenerationem: *Die kindschaft wird in der Seelen vestgesetzt; nicht durch eine blosse Annehmung, sondern durch eine wahre neue oder Wiedergeburch: welches Ioannes trefflich ausgedruckt IOA. I. 12.* adoptionem humanam nil esse, nisi adsumptionem in filium, omnium gentium instituta, rerumque vsus quotidianus confirmant. diuinam autem insuper intrinsecam deprecere constitutionem, tum indoli rei, tum analogiae fidei contrariatur. est enim cum iustificatione, quae forensis est, et extra hominem sit, vnus idemque actus, eodem cum ea momento in et a DEO peragitur, et non nisi conceptu nostro a iustificatione distinguitur. num autem ex mente noui traductoris regeneratio sit medium adoptionis, an hanc formaliter ingrediatur, ex verbis haud perspicue intelligitur. quod si prius putetur, prout sequentia me credere iubent, antecedens adoptionis cum adoptione ipsa miscetur. etenim secundam IOANNEM C. 1. 12. filios DEI declarauit saluator optimus, quotquot eum receperunt. quo vero modo eum receperunt? crediderunt in nomen eius. vnde autem fides ista? ex DEO nati sunt. itaque regeneratio praecedit, succedit fides tanquam
illius

a) P. VI. seu N. T. P. II. p. 589. a.

illius effectus, et tum demum sequitur adoptio. ita IOANNES aperte diffidet a BERLEBVRGENSI, si adoptionem in regeneratione ipsa collocet. nec vlllo indicio prodit S. euangelista, adoptionem intra animam firmari, quod interpret nouus opinatur, siquidem potestas credentibus facta, vt DEI filii sint, sua natura non alius, quam extrinsecus esse potest actus diuinus 2. filii DEI infundationem in anima restituere in nobis integram nouam creaturam, et nos efficere filios DEI naturales; *gleichwie das Wort, der erstgebobrne Sohn Gottes, zum Anfang oder Grund gesetzt ist, aus welchem, durch welchen, und in welchem alle Dinge gemacht sind, in der ganzen grossen allgemeinen Schoepfung ausser uns: also wird auch das Wort, der Sohn Gottes, zu einem Anfang und Grundsatz in dich gesetzt, et, aus welchem; durch welchen, und in welchem die ganzte neue Creatur in dir wiederbracht vnder schaffen wird. Darum kan kein anderer Grund geleyet werden* I COR. III. II. Durch diese Eingründung des Sohns werden wir natürliche Söhne Gottes. quid sit filii DEI infundatio in anima, *Eingründung*, BERLEBVRGENSIS non explicat, vel potius explicare nequiuit. mihi pariter illa est obscurissima, neque tantum suppetit otii, quod conteram in commento fanatico, quod non minus *ἀγροφον* est, quam *ἀνίσταφον*. filius DEI, seu CHRISTVS mediator adpellatur in S. litteris fundamentum fidei et substantiale et doctrinale, quoniam eidem tamquam fundamento innituntur partim fides ipsa, partim doctrina fidei I COR. III. II, EPH. II. 20., non quod ex eo velut materia omnia effluant, sed quod ipse nobis omnia sanguine suo adquisiuit, vel DEVS et pater domini nostri IESV CHRISTI benedixit nobis omni benedictione spiritali in supracoelestibus in CHRISTO. EPH. I. 3. noua creatura, si pro eo fumatur, quod regeneratio in nobis efficit, non supponit in nobis CHRISTVM, qui corda demum intrat post regenerationem, seu fidem in regeneratione productam, qua absente CHRISTVS in nobis habitare nequit, EPH. III. 17., multo minus CHRISTVM in anima infundatum imaginarium. fit enim ex spiritu et aqua IOA. III. 5., et semine incorruptibili, per verbum viuum DEI,



1 PET. I. 23. hoc vero est euangelium, *verbum* (ἡ εὐαγγελία),
 quod euangelizatum est inter nos 1 PET. I. 25. quod si autem noua
 creatura adiciatur de nouo corde, de mutatione intrinseca ad
 sanctitatem, et studium bonorum operum PS. LI. 12. EZECH.
 XXXVI. 26. 27., opus est, vt nos prius in CHRISTO fimus ROM.
 VIII. 1. 2 COR. V. 17., qui per fidem habitans in cordibus nostris
 EPH. III. 17. in iustificatis operatur IOA. XV. 4. 5., fructibus
 iustitiae eos implet PHIL. I. 11., liberat ab omni iniquitate et
 purificat sibi ipsi in populum peculiarem, aemulum bonorum
 operum TIT. II. 14. DEI enim sumus factura, creati in
 CHRISTO. IESV ad opera bona, quae praeparauit DEVS, vt in
 iis ambulemus EPH. II. 10. filii DEI sumus per fidem in CHRI-
 STO. IESV GAL. III. 27.; non infundationem filii DEI in anima,
 vel emanationem ex eo; filii adoptiui, non naturales, quia eam-
 dem cum filio DEI naturam aut essentiam adcipere non
 possumus, et adoptio fit extrinsece a PATRE, qui nos filios DEI
 vocat 1 IOA. III. 1. quantum ad creationem mundi visibilis, quae
 emanationem nouae creaturae siue probare, siue illustrare debet,
 audire mihi videor BOEHMIVM, aut similis fursuris theoso-
 phum iactatum. cum enim D. ABRAH. HINCKELMANN
 quaereret: *ob Jacob Boehme nicht beständig lehre, dass alle Din-
 ge aus dem göttlichen Wesen geschaffen seyn?* b), statim respon-
 dit anonymus c), procul dubio IO. IAC. ZIMMERMANN,
 vagabundus ille BOEHMISTA: *ia, vnd stehet die Frage mit deutli-
 chen Worten in Heil. Schrift beantwortet. Denn vermöge des Paulini-
 schen Grundtextes Rom. XI. 33. heisset es klar: alle Dinge sind aus ihm.*
 praepositionem ἐκ vel ἐξ graecis, sacris etiam litteris, vt ACT. V.
 38. 39. ROM. X. 17. 1 COR. XI. 12., non causam tantum materia-
 lem, verum etiam efficientem s. principalem s. minus principalem
 deno.

b) in den viertzig Fragen, betreffende die Lehre, so in Jacob Boh-
 mens Schriften enthalten, Hamburg, 1693. quaeft. VI.

c) in der verlangten christlichen Beantwortung deren viertzig Fra-
 gen, Amsterd. 1693. p. 27.



denotare, et pro *ἀπὸ* dici, neminem praeterit. PATRI, cui alias creatio adpropriatur, non filio DEI, quod BERLEBVRGENSIS vult, hoc loco vi particularum, quae personarum diuinarum ordinem naturalis enumerationis indicant, creatio et simul *ἡ ἐκ* adscribenda forent, si de creatione sermo esset; sed contextus satis ostendit, de consiliis DEI occultis circa oeconomiam gratiae accidentalem hic agi. 3. graecam vocem *ὑποθεσις* hanc foundationem filii DEI in anima indigitare: *Im Griechischen bedeutet das Wort Kindtschaft oder Kindesannehmung seinen Ursprung nach eine Eingründung, und Einsetzung, oder Grund-Satz des Sohns,* quam vellem, vt fanaticus paullo explicatius barbaram hanc significationem docuisset, cuius vel sonq graecus quilibet obstupesceret. quod autem cum neglexerit, nec vmquam perficere possit, nil aliud mihi relictum esse, sentio, quam vt paucis ostendam, quam incongrue fons graecus in subsidium vocetur. prouocat ad originem, hoc est, etymologiam, et significatum vocum componentium, siue extra compositionem, siue in eadem consideratarum. quotusquisque verò nescit, omnes ratiocinationes, quae a sola deriuatione ducuntur, in se et seorsim infirmissimas esse, quandoquidem vocabula ex vsu, non ex etymo valent. in hac etymologia omnia redeunt ad vocem *θεσις*, quae in compositione transit in *θεσις*. quid autem significat *θεσις*? positionem, positum aut situm. metaphorice dicitur de doctrinis, quae vel adfirmantur, vel negantur, quo respectu hinc theologia thetica denominatur. in his cum numerentur quoque doctrinae praecipuae, ex quibus aliae deducuntur et confirmantur, *θεσις* etiam nonnumquam graecis dicitur principium, fundamentum doctrinale, numquam reale, quod a BERLEBVRGENSE infinuatur, *eine Eingründung, Einsetzung, Grundsatz des Sohns.* fingamus autem, has notiones esse vocis *θεσις* extra compositionem, nondum habet dissentiens, in quo triumphet. a significato vocabulorum extra compositionem, ad eorum significatum in compositione non valet consequentia, quoniam compositio vocum haud raro mutat significatus, iisque alios aut translatos imponit,

V. g.



v. g. *τίκτω* denotat generare et parere, non fancire, ferre, inde descendit *θεσμοβόκος*, legislator. num homo sanae mentis inde colligeret, leges rogari per generationem, aut partum? haud magis fauet BERLEBVRGENSI nomen *υιοθεσία* in compositione spectatum, in qua cardo disputationis vertitur, ipsius enim infundationi filii reclamant scriptores, quos excitaui, graeci, qui vno omnes ore adfirmant, *υιοθεσίαν* vocari, quando quis in filium adsciscitur, seu pro filio declaratur. refragantur ei pariter cetera nomina, quae ex nomine *θετός* et alio nomine componuntur. sic v. g. *οροθεσία* innuit terminorum designationem, *αθλοθεσία* praemiorum determinationem, quae ab athlothesis fiebat. quodsi, his missis ad S. litteras, adcedam, qua ratione obtinebitur, filium in hac compositione non alium esse, quam filium DEI, in omnia *υιοθεσία* *υιός* est is, qui in filium adsumitur, et beneficio quodam potitur et fruitur. num filius DEI est filius adoptiuus? quem ex hac adoptione percipit usum? si infundatio filii DEI voce *υιοθεσία* significatur, qualis est infundatio, in qua iudaeorum V. T. posita fuit *υιοθεσία*, tamquam praerogatiua quaedam ROM. IX. 4., aut quae erit, quam in altero saeculo sibi pollicentur credentes, anhelantes *υιοθεσίας* ROM. VIII. 23. quodsi denique iuxta graecum fontem *υιοθεσία* infundatione filii DEI absoluitur, quid demum illuderit, quo fideles de sua filiatione reddantur certiores? certe in voce *υιοθεσία* nil superest, quod hanc spem ipsis facere possit. quo iure ergo *υιοθεσία* a BERLEBVRGENSI per: *kindesannehmung* conuerti, et per: *Grundsetzung des Sohns zur Kindtschaft* exponi potest? sed quae a fanatico alia poterant expectari, quam fanatica, male cohaerentia, scopae dissolutae, exorbitantis phantasiae ludibria?

§ VII.

OCCVRRVNT alii, quibus *υιοθεσία* nil aliud est, quam transpositio in filium DEI. credunt hi, nos per SPIRITVM. S. in DEI filium transferri, idque emphatice significari voce graeca *υιοθεσία*, quae a LVTHERO quidem per *Kindtschaft* reddita fit, sed proprie,



prie, vel adcuratius dicatur *die Versetzung in den Sohn*, in his ipsis terris octodecim abhinc annis explicationem istam propositam et disceptatam esse, recordor a). ambigua illa est, et in sensum alienum facile rapi, saltem fanaticismo palliando inferuire potest b), adeoque rectius ab ea abstinetur. attamen a suspicione citius liberari potest, quam BERLEBVRGENSIS notio: quapropter exegetice tantum, quod institutum poscit, de eadem monebo. iisdem, quibus BERLEBVRGENSIS, premittitur difficultatibus. dictioni graecae discongruit, nec omnibus N. T. dictis, quae de *ὑιοθεσία* loquuntur, adcommodari potest, argumentum etiam pro adoptione nostra ab *ὑιοθεσία* petittum nobis eripit, quae, cum ex superioribus intelligantur, denuo repetere necesse non est. speciatim translatio in filium DEI SPIRITVI. S. ignota est, nec per totum codicem S. vel vnico verbo insinuatur. referri huc posse videtur locutio illa, qua credentes in CHRISTO esse et manere perhibentur IOA. XIV. 20. XV. 4. 5. quod cum aliquando incipiat, actus translationis in CHRISTVM statuendus erit. inuerto ratiocinium: cum de nobis in CHRISTO saepe, de translatione in CHRISTVM nunquam loquatur SCRIPTVRA. S. eam sequi, et de translatione tacere decet. quando nos enim sumus in CHRISTO, vnio quaedam significatur, quae immediate terminatur, non ad CHRISTI personam et essentiam, sed officium mediatorium, seu meritum, quod fides complectitur et tenet c). vnio haec proinde relativa a theologis adpellatur, in qua translatio, cum subiectum inhaesionis non adfit, locum haud inuenit. re ipsa namque nil aliud denotat, quam fidem s. regenerationem, quatenus con-

C iuncta

- a) vid. b. IOACH. HENR. BVRGMANNI *nöthige Gegenantwort*, praef. histor. p. 130.
- b) solide id obseruauit b. noster AEPINVS, theologus summae *ἀγγελίας*, *progr. pentecost. de συμμαχίαι SPIRITVS. S. 1739.*
- c) vid. b. A. I. de KRAKEVITZ *disp. de nobis in CHRISTO, siue unione fidei relativa* 1714. §. XII. sqq. p. 8. sqq.



iuncta est cum iustificatione Rom. VIII. 1. d); est fides in sanguine CHRISTI, ROM. III. 25, in quem nemo transfertur, quare 7^o esse in CHRISTO cum adoptione non coincidit, in qua SPIRITVS *ἁγιος* testatur cum Spiritu nostro, quod simus filii DEI, ROM. VIII. 15, 16., multo minus translatio quaedam in filium DEI esse potest. ex quibus constat, nouam interpretationem istam S. litteris ignorari, adcedit, quod in se spectata sit parum solida et adcurata, (quoniam non respondet graeco fonti), nec vlla ratione firmata sit, vel firmari queat, nisi forte a pia mente, emphatico dicendi genere, atque aedificationis studio commendetur. quis autem nescit, in explanando S. textu primas partes veritati et soliditati deferendas esse. pia mens excusat quidem leuius errantes; non autem sententiis falsis robur addit e). emphases studiosae erui merentur, sed obtrudendae non sunt fictitiae pro veris f). spes aedificationis sola non sufficit quaesitis explicationibus ornandis g.) quod si soliditas et adcuratio negligantur, atque pietati, emphasi, et aedificationi postponantur, apud peritiores minister verbi decoquet fidem, et doctrinas sacras ludibrio exponet, quantopere simplicioribus probetur. denique noua haec interpretatio aperte falsa atque erronea est, quoniam *ἁγιος* graecis dicitur, quando quis ipse pro filio declaratur, non, quando in alium filium transponitur. SCRIPTVRA S. eandem vocem repetens non potest non, vt intelligatur ab omnibus, eandem notionem sectari. quare interpres facer vulgarium vocabulorum notiones vulgares tam diu premere debet, donec declaratione SPIRITVS. S., aut aliqua necessitate ab ea abstrahatur. confirmat id analogia reliquorum nominum, eiusdem compositionis, *ὀνομα ἁγία* est nominum; *χειρὶς ἁγία* manuum impositio, non

d) vid. *Vnsch. Nachricht.* 1708. p 876. *sqq.*

e) vid. SVMME. VENER. D. I. C. STEMLERVS *disputationib.* II. *de interpretationibus SCRIPTVRAE. S. Jatis piis, sed minus adcuratis, praesertim, diff. I. c. II, et III. p. 17 sqq.*

f) conf. MAXIME. VEN. D. DEILINGVS *obs. S P. V. p. 205 sqq.*

g) comp. D. RAMBACH, *institut. hermeneut. S. p. 60.*

non translatio in nomen aut manus. verbum quidem *τίθημι* nonnumquam construitur cum praepositione *εἰς*, *εἰς Φῶς ἐθνῶν*, ad lucem gentium ACT. XIII, 47. *εἰς ὄργην*, ad iram I THESS. V. 9. sed non disputatur de verbo separato; verum de nomine composito, cui pro lubitu inferi non potest, quae placet, praepositio, sed relinquenda est significatio, quam vsus graecus comprobat, siue particulas habeat, siue minus, dictum COL. I. 13.: *qui eripuit nos ex potestate tenebrarum, et transtulit in regnum dilectionis suae*, nullum nouae interpretationi praesidium adfert. nam ibi legitur verbum separatum, quod expressam adsciuit praepositionem, *μετατίθημι*; hic autem quaeritur de nomine composito, quod nullam insertam habet particulam: quae duo plane sunt diuersa, aliud porro est filius DEI, aliud regnum eius, quod loci imagine velut repraesentatur. non adsentior ANTONIO BLACKWALOH), qui de regno gloriae haec adcipit, cum nulla nos cogat necessitas litteram deferendi, et ad futurum confugiendi. regnum gratiae innui, seu redemptionis CHRISTI efficaciam designari, credo. vsitate verbum hoc dicitur de rerum publicarum regnorumque mutationibus, cum sublato priori imperio, diuersum inducitur. vt sententia sit: cum antea impotentissima satanae tyrannide oppressi teneremur, nunc iustissimi mitissimique DOMINI imperio nos regi i). quid hoc ad nomen *διεστίας*?

§. VIII.

EXCVSSO nomine res ipsa declaranda erit. cum autem adoptio respiciat consuetudinem ab vltimis annis hominibus probatam et receptam, priusquam de diuina tractem adoptione,

C 2

h) auctoribus sacris classicis defensis ac illustratis T. II. P. I. p. 462. ex versione D. WOLLII, qui obseruatione subiecta BLACKWALLVM notauit.

i) ita differit b. GEORG. RAPHELIVS *annotat. in N. T. ex XENOPHONTE* p. 269. sq., idemque vberius illustrat *annot. in N. T. ex POLYBIO et ARRIANO* p. 571. sq.



one, humana succincte persequenda est, ex sacris litteris primo loco se offert SARA, quae quum numquam vterum tulisset, senectute ingrauescente, spem prolis tollendae despondens, ABRAHAMO persuasit, vt ad HAGAREM ancillam ingrederetur, addita hac ratione: *forte ex illa aedificabor* GEN. XVI. 1-3. quoad SARA atque ABRAHAMVS ei moremgerens recte aduocentur, mihi nunc exquirere non licet. exagita- uit hoc factum quondam FAVSTVS, manichaeus: *babendae, inquit, prolis insana flagrans cupidine et DEO, qui id iam sibi de SARA promiserat, minime credens, cum pellice volutatus est* a), contra iudaei, IOSEPHVS, PHILO, PATRES plurimi, commentato- res pontificii, alii, illud hinc ab omni culpa absoluunt, hinc laudibus prosequuntur b), a promissione prima cum euocatione ex CHARAN coniuncta, quae ABRAHAMO anno aetatis 75 obti- gerat GEN. XII. 1. *sqq.*, et diuersis vicibus repetita erat GEN. XIII. 15. XV. 5. 18, effluerant in istum diem, nondum impleta promissio- ne, anni 10., vt ABRAHAMVS igitur 85, et SARA decennio minor 75 haberet annos GEN. XVI. 16. XVII. 17. quid mirum, SARAM spem prolis ex se suscipiendae abiectisse, cum sterilis fuisset GEN. XI. 30., et a IEHOVAH se clausam esse, quereretur GEN. XVI. 2., et consilia aliena agitalle. nec promissio feminis diuina, in qua firmiter confidebant ambo, eos a propo- sito dimouere poterat, cum promissionem in ABRAHAMI quid- em, non autem in SARAЕ filio implendam esse, haecenus sci- rent. nondum enim DEVS ipsis patefecerat, vtrum ex SARA, an alia coniuge semen promissum nascendum esset. itaque de- siderio feminis, non qualiscunque, sed promissi, et spe bene- dictionis promissae consequendae SARA ABRAHAMO adiunxit HAGAREM, vt in promissionis veniret partem. reprehendi ne- quit:

a) refellit eum AVGVSTINVS, *LIB. XXII.* contra *FAVSTVM,* manichaeum, *C. XXX. opp. T. VI. p. 505 sqq.*

b) AVGVSTINVS *de ciuit. DEI, L. XVI. C. XXV. opp. T. V. p. 215 sqq.* recte quidem alibidine ABRAHAMVM libe- rat; sed propterea non omnis culpae expers fuit,



quit huius consilii finis et scopus; sed laudari non potest vel praecipitancia, vel factum ipsum. mitigari utcumque potest culpa, quia HAGAR. ABRAHAMI non fuit scortum, libidinibus explendis inferuens; sed orientalium more (etsi nec a DEO probato, nec a nobis probando, vxor secundaria, sobolis procreandae causa adscita, propterea tamen factum in se nec excusari, nec pro licito reputari potest, quia diuinis de matrimonio et monogamia legibus repugnat, vnde nec concubinatus vel polygamia hoc facto defendi, nec ex eodem colligi potest, patriarcharum polygamiam haut illicitam fuisse c). respiciunt quidem ambo, ait D. CALOVIUS d), in DEVM et eius promissionem, sed media captant, et rationes illicitas, praeter DEI verbum et voluntatem, quod vitium in sanctis antiquis ob fidem et desiderium promissi seminis toleratum in exemplum trahi non potest. cur autem SARA. ABRAHAMO. HAGAREM tanto studio velut vxorem commendauerit, verba SARAE produnt, secundum fontem expensa: אֵילֵי אֶפְנָה כַּפְנָה. hebraeis enim בְּנָה significatu tropico denotat prolem gignere, et passiuè prolem suscipere DEVT. XXV. 9. RVTH. IV. 11. deriuatur hinc בֵּן filius, quoniam filii familiam aedificant, eademque de causa בֵּית domus, metaphorice adceptum, significat familiam, sobolem GEN. VII. 1. patet inde, SARAM spem sibi fecisse, fore, vt HAGAR ex consuetudine cum ABRAHAMO filium concipiat, quem in lucem editum ipsa adoptare et pro suo adgnosceret velit, ex quo ipsa aedificetur. ideo marito subiecit ancillam, non liberam aliquam. poterat enim filium ex ancilla natum pro suo vindicare et ex eo domum suam aedificare maiori iure, quam alium

C 3

ex

- c) his se adsociasse, miror, IAC. SAVRIN in den *Betrachtung. ueber die Begebenheit, des A. und N. T. P. 1. n. XIX. S. 2. p. 390.*
- d) *commentar. in GENESIN, p. 867. add. D. VARENIUS de cadibus mosaïcis, p. 464 seqq, vbi de vxoribus hebraeorum agitur,*



ex libera aliqua procreatum e). ita sentiunt interpretes anglicani f): Vielleicht bekomme ich durch sie Kinder. Der Ausdruck ist merkwürdig. Sarai wil die Kinder, die ihr Mann mit der Hagar zeugen wird, für die ibrigen annehmen, und sie geböreten ihr auch von rechtswegen zu. Das Kind eines Kuechtes war seinem Herrn, und dieses war eine beständige Gewohnheit. nec aliter THOMAS. STACKHOVSE g): Das scheint zugleich die Ursache gewesen zu seyn, warum sie lieber eine Sclavin, wie Hagar im Grundtext genennet wird, als eine freye Person dazu ausgesuchet, sie eine zeitlang in das Ehebett ihres Mannes zulegen, nemlich damit das Kind, welches jene aus dem Beyschlaf erhielt, wenigstens Zurechnungsweise als ihr eigenes angesehen werden könnte; dabingegen dasjenige, das von einer freyen Person geboren worden, für ein Eigenthum der Mutter, würde gehalten werden müssen. quod cum apud omnes contestatum sit, primum adoptionis humanae, quod facer codex habet, hic deprehendimus exemplum. summam cuncta complectitur societas anglicana, cujus studio historia orbis terrarum vniuersalis euulgatur; Sarah die sich nicht träumen lies, dass sie die glückselige Mutter des verheißenen Kindes werden solte, und die noch überdis alle überzeugende Proben dauon hatte, die ein Weib nur haben kan, dass sie über alle Möglichkeit, ein eigenes Kind zu bekommen, hinweg sey, entschlos sich, zum wenigsten durch Annehmung eines fremden Kindes Mutter zu werden, der Gewohnheit der selben Zeit und desselben Landes gemäs. Zu dem Ende verberedete sie ihren Hausherrn, ihre Hausmagd Hagar zu sich zunehmen, damit dieselbe, wenn er ein Kind von ihr bekommen solte, dasselbe auff ihren Knien gebären möchte, welches die Glückseligkeit alle war, die sie von der Verheißung erwarten können h). penultima autem verba, quae adduntur, non in historia SARAE, sed RACHELIS a SPIRITV. S. adhibentur, ad quam nunc transeo. §. IX.

e) vid. IOA. HENR. HEIDEGGERI *historia sacra patriarcharum* TOM. POST. EXERCIT. VI. §. III. p. 127.

f) *bibliis*, quae ex gallico idiomate in germanicum traducere caepit D. TELLERVS, P. I. ad. h. l. p. 190.

g) P. II. der Vertheidigung der Biblischen Geschichte. p. 211.

h) vid. die Verbersetzung der algemeinen Weltgeschichte, P. II p. 267.

S. IX.

SARAE exemplum imitata est RACHEL, IACOBI vxor, quae cum sterilis esset, marito subdidit ancillam suam PILHAM: ecce, dicit IACOBO, ancillam meam; intra ad hanc וְהָיָה עִלְ-בְרָכִי וְהָיָה גַם אֲנֹכִי סִמְנָה ut pariat super genua mea, aedificetque etiam ego ex illa GEN. XXX. 3. posteriora verba interpretum exercuerunt ingenia. adoptionem adgnosunt plerique, sed nonnulli in generalioribus subsistunt: GROTIUS inquit; ut habeam ex illa liberos, id est, eos tamquam meos curem. addit CALOVIUS: adoptionem ergo innuit liberorum, non ut EBRAEI ineptiunt, quod incitari ita ad pariendum et concipiendum caleferi voluerit. a). historici anglicani: Sie verlangt von ihm, die Bilha zu nemen, und zu versuchen, vermittelst derselben sie zur Mutter zu machen b). alii insistent fonti, vt b. LVTHERVS: dass sie auf meinem Schoos gebare. pariter interpretes anglicani: Vermöge des Nachdrucks im Hebräischen will Rabel so viel sagen: die Bilha werde für eine solche gehalten werden, die in ihrem Schoosse geboren habe c). paraphrastes chaldaeus reddit: ingredere ad eam, ut pariat, et ego ero nutrix, hoc est, ut HEIDEGGERVS d) adiungit: filium, quem pariet, gremio meo excipiam, ut tamquam meum educem. D. CALOVIUS e) ait: missis aliis interpretamentis sensus est, ut ego filium, ex ancilla mea natum, pro meo excipiam, ut solent matres in genibus filios suos statuere ES. LXVI. 12. simplicissima haec videtur explicatio, in qua tamen ellipsis adgnosenda et supplenda. certe phrasis GEN. L. 23: גַּם בְּנֵי מְכִיר וְגַם בְּנֵי מְנַשֶׁה יָלְדוּ עִלְ-בְרָכִי יוֹסֵפַת etiam filii MACHIR, filii MENASSE S, nati sunt super genibus IOSEPHI, absque ellipsi difficulter intelligitur. non male WERTHEMIENSIS, qui saepe

a) bibl. illustr. V. T. T I, ad h. l. p. 297. a.

b) Uebersetzung der allgemeinen Weltgeschichte P. II. p. 297.

c) vid. bibl. T. I. ex edit. D. TELLERI ad h. l. p. 286.

d) historia patriarcharum T. II exercit. XVIII. p. 370.

e) commentar, in GENESIN ad h. l. p. 1121.



faepe pessime: RACHEL wolte die Kinder bey der Geburt empfangen vnd wegnehmen, zum Zeichen, dass sie sich solche Zueignete; welches vermuthlich damals so gebräuchlich gewesen ist; gleichwie man den Groseltern in den alten Zeiten die Kinder nach der Geburt auf den Schoff gab, zum Zeichen, dass sie ihre Nachkommen wären f). alii peculiare ritus vel sibi concipiunt, vel in subsidium vocant, MENOCHIVS HONCHALAE testimonio nititur, qui scribit: moris fuisse, ut quae alterius prolem voluit adoptare, puerperam gremio insidentem inter pariendum genibus fulciret, et infantulum recens natum super genua sua statueret g). actum hunc, qui a puerperio non alienus est, adoptionis olim argumentum, atque patriarchis non insolitum fuisse, idoneis testibus perficiendum est, non nude recensendum. IOA. GOTTL. HEINECCIUS, ICTVS clarissimus, postquam ex DIODORO. SICVLO retulerat, in adoptione apud barbaros matremfamilias partum simulasse, subiicit: exemplum eiusmodi adoptionis obseruare mihi videor GEN. XXX. 3., ubi adoptionis quamdam speciem etiam deprehendit V. C. IO. CZERICVS in not. ad pentat. p. 222. h) quantum DIODORVM. SICVLVM adinet, is recitat fabulam poetice: adiciendum et hoc, quod post euectionem ad DEOS, IVNO, IOVIS suasu, filium sibi HERCVLEM adoptauerit, et omne deinceps tempus materna ipsum beneuolentia amplexa fuerit. illam opinionem hoc modo factam perhibent. IVNO lectum ingressa, HERCVLEM corpori suo admotum, ut verum imitaretur partum, subter vestes ad terram demisit. quibus narratis concludit: quin in hoc usque tempus adoptionis ritum barbari obseruant i). loquitur de barbaris suae aetatis, quo nomine eum iudaeos comprehendisse, exploratum nondum est. quod si autem fecisset, et ritum istum minus verecundum iudaeis tribuisset, quem ipsorum magistri igno-

f) bibl. P. I. annot. 281. 442. p. 139. sq. 251.

g) vid. MATT. POLI synopsis criticorum aliorumque S. SCRIPTURAE interpretum, VOL. I. ad h. l. pag. 199.

h) syntagma antiquitatum roman. ad institut. L. I. TIT. XI. §. XV. a. p. 171. edit. ARGENTOR. 1743.

i) biblioth. historicae L. IV. C. XL. pag. 232. edit. HANOV. 1611.

ignorant, nimis longe tamen, cum IVLII. CAESARIS atque AVGVSTI vixerit saeculo, a patriarcharum remotus est aevo, quam vt eorum ritus nobis recensere potuerit, consensus CLE-
 RICI valde dubius est. non alia enim, quam haec verba habet: *haec videtur veluti adoptio fuisse, quando hera ancillam viro permittebat, et gremio eius liberos excipiebat* k). nouam excogitauit sententiam STACKHOVSE. RACHELEM, opinatur, adpetiisse prolem non adoptiuam, sed naturali, qua ob sterilitatem caruerit, similem, siue talem, qualem leuir fratri demortuo ex eius vidua susci-
 tare debuerit. *Es muss, inquit l), das Gebären auf dem Schooss, wie Mosis Ausdruck lautet, ganz gewiss etwas mehreres bedeuten, als dass Rabel nur die Absicht gehabt, sich zu einer Kindmutter bey ihrer Magd brauchen zu lassen, oder ein Kind auf ihren Schoos zu setzen, vnd es für ihr eigenes zu erkennen, an welchem sie doch weder im Empfangen noch im Gebären einen unmittelbaren Theil gehabt: sondern ihre Absicht war, dass ihre Magd durch sie empfangen, vnd gleichsam in ihrer Gegenwart vnd auf ihrem Schoos schwanger werden solte, damit sie durch diese Magd, als durch das Werkzeug, dessen sie sich bedienet, kinder erhalten möchte, die sie ihr eigen nennen könnte, ob sie wol nicht von ihrem Leibe geboren worden.*
 rectius ab his abstinuisset doctissimus auctor, librum exarans ad defendendam historiam sacram et DEISTARVM tela repellenda comparatum. quorsum istae hypotheses de spiritu omnis propagationis humanae principio, et de conceptione spirituali, de mulieribus nudis conceptionis instrumentis passiuis, quas RACHELEM non ignorasse credit? qualem fidem sibi conciliabit auctor, quando filios, quos textus et parallelismus tam aperte tamquam adoptiuos describit, omnesque pro iis adgnoscent, in filios a leuiro procreatos transmutat?

§. X

PRAETERIRE non debuissim LOTHVM, si verum esset, quod FLAVIVS. IOSEPHVS tradit, eum ab ABRAHAMO filii loco adsumtum esse, ita enim narrata); *ABRAHAMVS, LOTHVM,*
 D ARA.

k) commentar. in genesin p. 197. a.

l) der Vertheidig. der Bibl. Gesch. P. II. C. III. SECT. II. §. 320. p. 506

a) antiquit. iudaic. L. I. C. VIII. p. 16. edit. 1611.



ARANIS fratris sui filium, SARAE conjugis suae fratrem, adoptauit, quod germano filio careret. sed istud, vt alia haud pauca, vel ex ingenio et coniecturis comminiscitur, vel ex incertis falsisque traditionibus repetit. MOSES de adoptione hac nil habet, imo eidem haut obscure refragatur. cum enim ABRAHAMO quarta vice adpareret DEVS, eidemque polliceretur, se illi clypeum esse et mercedem valde multam GEN. XV. 1. ; ABRAHAMVS regerit: *quid dabis mihi? cum ego abeam improlis?* v. 2. pergitque v. 3: *en mihi non dedisti semen: ecce itaque, filius domus meae haeres meus erit.* ex quibus verbis patet, ABRAHAMVM. ELIESERI, vel vt alii malunt, filio illius haereditatem destinasse. id autem fieri nullatenus potuisset, si LOTHVS ab ABRAHAMO adoptatus fuisset b).

§. XI.

LOTHO igitur omisso, duo adhuc alia adoptionis subiungo exempla, quae in S. litteris occurrunt, et ad gentem pertinent hebraeam. prius subministrant duo IOSEPHI filii, EPHRAIM et MENASSEH, quos nepotes suos adoptauit IACOBVS. GEN. XLVIII. postquam ad eum enim decumbentem adcesserat IOSEPHVS, adductis vna filiis duobus v. 1. 2., promissionem de femine suo multiplicando et terra CANAAN ab eo possidenda, sibi a DEO datam IOSEPHO exponit IACOBVS, et fide de terra promissa tam certus, ac si potitus iam sit eadem, distributio, nem eius instituens pergit v. 5.: *iam itaque duo filii tui, qui nati sunt tibi in terra aegypti, antequam ego venirem ad te in aegyptum, erunt mei.* connexio diuersimode explicatur. textus hebraeus habet particulam וְעַתָּה quam quidam per: *iam vero*; alii per: *iam igitur* transferunt. alexandrini reddiderunt: וְעַתָּה, eademque ratione SEB. SCHMIDIUS, cuius versionem recitavi, aliique plures. ab his discedit versio a) interpretationibus anglicanis illustrata; *itzo aber*; sed corrigunt istam interpretes angli-

b) vid. D. BVDDEVS *hist. eccles. V. T. TOM. I. PERIOD. I. SECT. III. §. 1V. p. 272.*

a) ad h. l. v. 5. et adnotat. 509. p. 408.



glicani : oder vielmehr, wie die 70 Dolmetscher uebersetzen: Derwegen sind nunmehr etc. aduersus istam adnotatione subiecta sequentia monentur ; nicht der vierte Vers, sondern das folgende im 7 Verse, fasset den Grund in sich, warum Iacob den Manasse und Ephraim seinen leiblichen Söhnen gleich machet. Es musste eine sonderbare Ursache seyn, die sich auf den Ioseph und seine Kinder bezoge. Die Veberzeugung aber, die Iacob von der Wahrheit der göttlichen Verheissungen v. 4 hatte, war etwas so allgemeines, dass alle seine Nachkommen gleichen Antheil daran haben solten. Es ist demnach so zu uebersetzen: vnd nun sollen; nicht aber also: derwegen, mea opinione ꝑ siue copulatiue, siue causaliter adcipiatur, perinde saluo sensu est. IACOBO diuino nutu constitutum erat duos ex IOSEPHO nepotes insigni adoptionis beneficio mactare. otiosum et inane nomen aui moribundi censerı poterat adoptio. quare praemittenda erat diuina palaeestinae sibi data promissio, sine qua nullum in eam ius, nullum eam distribuendi facultatem habuisset IACOBVS. quod si pollicitationis diuinae mentionem, vt nudam spectare velis occasionem, reddere particulam connectentem poteris copulatiue: vnd nun, ietzt aber, cum ista vero commemoratio rationem simul, et si inadaequatam et generalem, adoptionis beneuolae complectatur, traduci potest particula causaliter: deswegen, derohalben nun. specialem adoptionis rationem versu demum 7. innui, salua mea explicatione haud aegre largiri possım, quia ratio specialis generalem non tollit. abnui tamen nequit, de scopo commatis 7. varios esse interpretum sensus, et rationi speciali ab amore et morte immatura RACHELIS alias adiungi posse, vt sunt adfectus in IOSEPHVM singularis, et grati animi pro beneficiis ab eo in se collatis significatio haec enim omnia IACOBVM procul dubio commouerunt, vt IOSEPHI filiis duobus adoptionem, et iura filiorum ex ea resultantia tribueret. verbis enim: erunt mei, sicut RVBEN et SIMEON, indicat IACOBVS I. se EPHRAIMVM et MANASSEM pro filiis suis non minus haberi velle, ac RVBEN et SIMEON. quod confirmat v. 16.: vt vocetur in iis nomen meum, quasi diceret, quamquam nepotes sunt, vocabuntur filii mei adoptionis iure, ac perinde vt filii singulas partes ferent, in



capite succedent, non stirpis nomine b). inepte VVLGATA legit: *et inuocetur super eos nomen meum*; longe vero ineptius ROMANENSES, vt sanctorum inuocationem demonstrent, versionem hanc fonti aduersam tuentur c) II. se singulis peculiarem promissae terrae partem adsignatam cupere, sicuti RVBEN et SIMEON suas singuli adcipere debeant partes. quo nomine EPHRAIM et MANASSE distinguuntur a reliquis IOSEPHI filiiis, in posterum prognerandis, de quibus v. 6. IACOBVS inquit: *sub nomine fratrum suorum vocabuntur in haereditate eorum*. ampliora adhuc intendere et IOSEPHVM pro primogenito, qualis ex RACHELE quoque erat, declarare videtur, postquam RVBEN hac praerogatiua exciderat GEN. XLIX. 3. 4. gemina enim portio filiis IOSEPHI a IACOBO destinata id arguit I. CHRON. V. (VI). I. nec fefellit euentus EPHRAIM et MENASSEM, quippe inter duodecim ISRAELIS tribus numerati sunt, et sub ingressum in terram promissam eodem iure et censu, quo ceterae tribus venerunt NVM. XXXII. 33 sqq. IOS. XIII. 7. 8. C. XVI. et XVII. integris, manserunt nihilominus tribus tantum duodecim, cum nec IOSEPHVS in aegypto defunctus, nec tribus LEVI, cultui S. NVMINIS consecrata, peculiarem constitueret tribum d). *posterius* adoptionis iudaicae exemplum praebet HADASSA, a parentibus procul dubio hoc nomine adpellata, quae regia dignitate aucta a PERSIS ESTHER vocata fuit. de hac ESTHERAE. II. 7. haec pauca relata legimus: *postquam mortuus erat pater et mater eius, accepit eam MARDECHAI sibi in filiam*. mira metamorphosi LXX interpretes filiam conuertunt in vxorem: *ἐπαίδευσεν αὐτὴν ἐαυτῶ ἐν γυναικείᾳ*. eadem fabula placet RABBINIS nonnullis a BARTOLOCCIO et DRVSIO explosa e). textus facer, isque incorruptus et nullius le-

- b) GROTIVS *ad b. l.* c) CALOVIVS *in genesin p. 1371. sq.*
 d) vberius hoc argumentum persequuntur STACKHOVSE. *P. I. der Vertheidigung der biblisch. Geschicht te p. 609 sqq.*, IAC. SAVRIN, *P. I. der Betrachtungen ueber die wichtigsten Begebenheiten der A. und N. T. P. I. p. 531 sqq. Vebersetzung der allgemeinen Welthistorie, P. II. p. 335.*
 e) vid. S. VENER. DOM. D. CARPZOVI *introducō ad LI. BROS. CANON. V. T. P. I. p. 345.*

lectionis variantis suspectus, expresse legit: לִבְיָהּ in filiam, pro qua corruptores substituunt לְבֵיתָהּ domum duxit. iudeorum nugae nemo sibi temere obtrudi patietur. forte RABBINI sequuti sunt codicem punctis vocalibus, accentibus et versuum distinctionibus orbatum, quo eos in synagogis etiam, et qua aetate, quibusque de causis, vti caepisse, folide, vt solet, docet CEL. et prae laudatus D. CARPZOVIVS f). ALEXANDRINOS codice non punctato vfos esse, contestatum est, indeque plurima vitia in versionem suam deriuasse, comprobarunt viri plurimi docti, et in iis recentius CLAR. IO. GEORG. GERET g) et REVER. IO. GEORG. OLBERS h).

§ XII.

AEGYPTIIS adoptionem non ignoratam fuisse, MOSIS historia docet. MOSEN etenim in ripa fluminis NILI expositum seruauit PHARAONIS filia, quam FLAV. IOSEPHVS THERMVTHEN, ARTAPANVS a) MERRHIN (Μερρη) voce, ex MIRIAM forte corrupta, alii aliter vocant. commiseratione puelli pulchri impulsam eum tradidit suis sumtibus nutriendum et lactandum vxori hebraeae, seu DEO dirigente, matri propriae, a qua eundem recepit et in filium adsciuit. cum creuisset puer, attulit (mater MOSIS) eum filiae PHARAONIS וַיְהִי-לָהּ לְבֵן et fuit illi in filium EX. II. 10. educavit eundem postea, atque in omni AEGYPTIORVM sapientia b) instituendum curauit, vt testis est STEPHANVS, protomartyr ACT. VII. 21. 22. expositum (MOSEN) sustulit filia PHARAONIS, καὶ ἀνεθρέψατο αὐτὸν

D 3

αὐτὸν

f) CRITICA. S. V. T. P. I. p. 266. 267.

g) commentat. de causis discrepantiarum versionis LXX. viralis a textu originali SECT. I. p. 6. sqq.

h) diss. de causis dissensus inter textum originale et versionem Ἰωνεβδομηχεντα. (: quae exstat VOL I. des Brem und Verdischen Hebopfers Beytrag IV.) S. VII. p. 957 sqq.

a) apud EVSEBIVM praeparat. euangelicae L. IX. C. XXVII.

b) de sapientia MOSIS commentati sunt ex veteribus CLEMENS ALE-



αὐτὸν εἰς υἱὸν, et eruditus est MOSES omni sapientia aegyptiorum; et erat potens in dictis et factis. confirmat PAVLVS. HEBR. XI. 24: fide MOSES adultior factus renuit λέγεσθαι ὁὐκ θυγατρὸς Φαραώ vocari filius filiae PHARAONIS, seu vt recte exponit IOANN. BRAVNIVS c): aulam regiam, filiam PHARAONIS, eius diuitias omnesque vitae delicias negavit. plura cumulari possent ex PHILONE et FLAV. IOSEPHO, si illorum auctoritate in iis, quae sacrae litterae silent, stari posset. ex PHILONE vnam recitabo fabulam, quae ita se habet d): Τελειότερον δὲ τῆς ἡλικίας ἰδέσθαι, καὶ τῆς ὀψέως ἔτι μᾶλλον ἢ πρότερον σπάτατα εὐνοίας, υἱὸν ποιεῖται, τὰ περὶ τὸν ὄγκον τῆς γαστρὸς τεχνάτατα πρότερον, ἵνα γνήσιος, εἰλλὰ μὴ υποβολιμαῖος νομιθῆ ἢ illa, (filia PHARAONIS) cum illum (MOSEN) supra aetatem profecisse videt, et ex eius adspectu maiorem adhuc, quam antea, concipit erga illum benevolentiam, filium illum facit, postquam iam antea gravidam se finxisset, vt natiuus, non adscititiuus
puta-

ALEXANDRINVS, et recentiores haut pauci, vt D. BVD-DEVS introd. ad historiam philosophiae ebraeorum §. XI. sqq. p. 36 sqq. edit. 1720, nec non scriptores de philosophia MOSIS, vt MOLLERVS, MAIVS, alii, de quibus vid. *Vebersetzung der allgemeinen Weltgeschichte P. II. p. 369*, et CEL. D. HEVMAN-
NVS actis philosophorum T. II. f. P. VII. p. 24 sqq. diiudican-
da ea est ex aegyptiorum sapientia huius aevi, quam persequutus est HERM. CONRINGIVS de HERMETICA aegyptiorum ve-
tere et PARACELSIORVM noua medicina libro CIOICXLIX
impresso et CIOICLXIX recuso, cum quo comparari meretur
CEL. BRVCKERVS histor. philos. T. I. L. II. C. II. et VII. ae-
gyptios initia seu rudimenta quarumdam artium et partium,
quae hodie ad philosophiam, speciatim mathesin referuntur,
empirice ea aetate tractasse, concedi potest; sed illos philoso-
phiam vniuersalem et scientificam, eiusque systema integrum,
animo comprehendisse, haud quisquam [hodie sibi persuaderi
patietur.

e) *commentar. in epistol. ad HEBRAEOS ad b. l. p. 774.*

d) *de vita MOYSIS, L. I. opp. p. 470. C. ed. COL. ALLOBROG. 1613.*

pataretur. IOSEPHVS autem tot adcessionibus hanc locupletavit historiam, vt fatius credam eas praeterire, quam huc referre. disputat BENEDICT. IVSTINIANVS, commentator pontificius SAEC. XVI., epistolarum S. PAVLI interpres non vltimi nominis, prout eum adpellat MAX. VENER. MOSHEMIVS e): *num vera adoptione femina, filia PHARAONIS, potuerit MOSEN adoptare; cum per leges romanas non possit? sed paucis folide respondet SEB. SCHMIDIVS f): quasi vero ad leges romanas ante ROMAM filia PHARAONIS fuerit obligata! imo, quasi ad eiusmodi leges de familiis aegyptiae filia regis alligata fuerit! et si forte virum habuit, vt IOSEPHVS vult, quis credat, illam sine consensu mariti fecisse quicquam? num vi adoptionis MOSES regni aegyptiaci haeres constitutus sit, disquirunt plurimi. occasionem praebuit IOSEPHVS, qui haec tradit g): tanta erat puerilis gratia, vt inuiti homines ab hoc spectaculo discederent, quo factum est vt THERMVTHIS hunc sibi filium adoptauerit, cum alioquin germanis liberis careret. allatumque patri osentabat, dicens de successore se cogitare, etiamsi DEVS ei nullum filium gignere dederit. hunc puerum, inquit, ego educaui non minus indole quam pulchritudine diuina excellentem, quem NILVS ipse in sinum meum tradidisse videri potest, quem decreui adoptare mihi filium, tibi vero in principatu ac imperio successorem. et cum dicto patri infantem in manus imposuit. at ille postquam acceptum ad pectus appressisset, filiae gratificaturus comiter diadema suum eius capiti imposuit, quam exigua in historia vetustiore IOSEPHO fides haberi queat, quod fabulis aut figmentis locum fecerit, vt gentem iudaicam extolleret, nemo nescit, nihilofecius sequuntur illum haud pauci, a quibus, v. g. LINDHAMMERO MOSES: *ein Candidat vnd künftiger Besitzer des AEGYPTischen Reichs* h), adpellatur. sed plura animo concipiunt, quam IOSEPHVS retulit, fac, PHARAONIS filiam suo voto regnum MOSI destinasse, malo tamen*

e) *instit. historiae christianae recent. p. 121.*

f) *commentar. in epist. ad HEBRAEOS ad C. XI. v. 24. p. 1240.*

g) *antiquitat. iudaicar. L. II. C. V. p. 49. b.*

h) *in der ausführlichen Erklärung der Apostel Geschichte p. 291.*



men omine eius consilia intercepta, et infanti mortem decretam esse, idem statim addit i): *THERMVTHIS* vero confestim eum eripit, rege quoque non inuito, cui *DEVS* talem animum indiderat, *MOSES* saluti providens. itaque educabatur quam accuratissime. adoptatum a regis filia regis successorem constitui posse, si res ita ferat, non repugnat; sed *MOSEN* haeredem regni designatum fuisse, parum est probabile. ab adoptione priuata ad regiam dignitatem, et successionem publicam nulla valet consequentia. potuisset ei filia *PHARAONIS* bonorum suorum partem tantam, tamquam filio adoptato legare, vt diuitiis adfluxisset, nisi *MOSES* haec omnia respuisset. adparet hinc, quid responderi iis possit, qui *HEBR.* XI. 26. : *maiores diuitias existimauit (MOSES) thesauris aegypti, opprobrium CHRISTI*, in suae praeconceptae opinionis excitant praesidium. thesauri enim aegypti ad regiam dignitatem et successionem extendi nequeunt, sed de commodis omnibus exponi debent, quae ex adoptione filiae *PHARAONIS* priuata in eum redundare et deriuari poterant, vt vita splendidissima et rerum omnium adfluentia. thesauri ad diuitias restringendi non sunt, sed generalius adciipiendi pro omni fruitione peccati, vt v. praecedens 25 et oppositio inter pati cum populo, siue opprobrium *CHRISTI* v. 26. ostendit. verisimilitudinem vt suae inducat sententiae *LINDHAMMERVS*, simile ab aegyptiis factae adoptionis reperisse sibi videtur exemplum i *REG.* XI. 19. 20. : *inuenit HADADVS gratiam in oculis PHARAONIS adeo, vt dederit ei uxorem, sororem uxoris suae, sororem THACHPENESÆ, dominae. peperitque ei soror THACHPENESÆ, GENVBATHVM, filium eius: quem ablactauit THACHPENESA in medio domus PHARAONIS; fuitque GENVBATHVS (in) domo PHARAONIS inter filios PHARAONIS.* mihi adoptionis haec verba nullam praebere videntur suspicionem. indicium clementiae et amoris fuit, quod *GENVBATHVS* in domo regis et cum eius filiis educatus fuit; non autem adoptionis argumentum. sola educatio non absoluit adoptionem. quot alienis impensis educantur, qui tamen ab iis numquam adoptati sunt, aut adoptantur.

S. XIV.

i) l. c. p. 50, a.

§ XIII.

NOMINA, quibus graeci adoptionem adpellant, supra quadam ex parte iam recensui. quapropter illos adoptionem haud nesciuisse, facile cogitari potest. infantum adoptio rarior ipsis fuit. inualuerat namque damnatus atque immanis per ciuitates graeciae mos, vt infantes exponerentur. liberum erat patri prolem recens editam vel adgnosceret, et tollere, vel repudiare et exponere. prius vocabant *ἀναίγες*, posterius *ἐκ θεῶν* a). causae expositionis erant defectus liberorum, v. g. quando debiles, monstrosi, mutili erant; aut incertitudo genitoris, aut parentum inopia, aut numerus, qui leges supergrediebatur. o-mitto alias. IASONIS filia ATALANTA celebrata est. eam, cum esset nata, pater exposuit. non enim se feminis, sed maribus opus habere dicebat b). non omnium tamen graecorum haec fuit consuetudo. THEBANI certe excipiendi sunt. de his ARISTOTELES inquit c): *scripsit THEBANIS. PHILO-*

E

LAVS

- a) vid. D. CHRISTIANVS, BRVNINGVS *compend. antiquit. graecarum* p. 5. 7. edit. 1745, qui nota C. addit; *huic ἐκ θεῶν elegantius opponitur ὑπερθεῶν GAL. IV. 5. et aliis in locis S. S. memorata expositos et abiectos a facie coelestis patris peccatores, filios irae CHRISTVS tollit, nouaque vita donatos placato suo sanguine patri reddit. hoc modo, qui in creatione patris naturalis speciem prae se tulerat, per redemptionem euadit pater adoptiuus, qui fideles antea ἐθεῶν nunc θεῶν suo nomine ornat, coelesti familiae inserit, ciuitati supernae addit, et haeredes consummatae felicitatis constituit. non omni ex parte recte se habere hanc comparisonem, puto. nam 1. ἐκ θεῶν graeci opposuerunt ἀναίγες, vt ipse vir celeb. monet, non ὑπερθεῶν. 2. graecorum ἀναίγες declarabat filios naturales pro veris et genuinis, non eos adoptabat; sed ὑπερθεῶν filios, qui non sunt tales natura, in filios recipit. 3. DEVS nullos homines exponit, vel abiicit, vel praeterit, quod oppositio suadere videtur, sed nemini probabitur, nisi qui decretum absolutum cum THEOLOGO hoc HEIDELBERGENSI et locis amplectitur.*
- b) teste AELIANO *variarum historiarum* L. XIII. C. I. p. 241. edit. ARGENTOR. 1645.
- c) *politicorum* L. II. C. X. p. 132, edit. HELMSTAD. 1656.



LAVS leges, et de aliis quibusdam, et de adoptione filiorum (*περὶ τῆς παιδοποιίας*), quas leges vocant illic theticas. ita plerique interpretes conuertunt; sed contradicit HERMANN. CONRINGIVS d): vocem *παιδοποιίας* VICTORIVS inique interpretatur liberorum adoptionem, cum potius ille PHILOLAVS videatur definiisse liberorum procreandorum numerum. anceps est, fateor, vox illa, et tam de liberorum procreatione, quam adoptione adhibetur. sed nomen legum theticarum posteriori significationi magis fauet, cum graecorum stilo *θεσις* pertineat ad adoptionem. confirmat ÆLIANVS e), qui legem hanc THEBANAM recitat; ne cui THEBANO infantem exponere, neque in solitudinem abiicere, capitis supplicio constituto. verum si extremam mendicitate pater laboret, siue mas sit, siue femina infans, iubet lex eum statim a materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre: qui acceptum alicui tradit cet. limitibus pariter haec expositio nonnullibi circumscripta erat. ARISTOTELES f) ait: de exponendis liberis et alendis fit lex, nihil mancum, debileque alere. propter multitudinem autem filiorum, si ordo gentium vetarit, nil exponere eorum, quae genita sunt. nec eadem crudelitate expositionem omnes executi sunt, sed nonnulli tenellos infantes deportarunt in locos, quos hominum frequentabat multitudo, quo expositus a praetereuntibus conspectus illorum prouocaret commiserationem g). itaque expositio illa infantum, quam graeci, inuita humanitate, laudabant, non omnem tollebat infantum adoptionem. adultorum autem adoptionem graecis familiarem fuisse, tot scriptorum graecorum testimonia comprobant. ISOCRATES h) adoptionem tuetur et leges de eadem varias adducit. PLATO i) iubet, vt qui plures liberos haberet, vno retento, non habentibus in adoptionem alios daret. DEMOSTHENES k) constituit; viuis liberos adoptato. plura addere non adtinet l).

§. XIV.

d) emendationibus politicorum ARISTOTELIS, ad b. l. p. 677.

e) var. hist. L. II. C. VII. p. 29. f) politic. Z. VII. C. XVI. p. 407. 408

g) vid. CLAR. HENR. AVG. ZEIBICHII erudita diss. de more graecorum infantes exponendi §. VII. p. 21. sqq.

h) aeginetico oration. p. 758. sqq. i) de legumlat. dial. IX. opp. ed. BAS. 1561.

k) oration. πρὸς λεώχερον. l) comp. IOANN. PHIL. PFEIFFERVS antiquit. graecar. Z. II. C. XVI. p. 207. sq.

§. XIV.

NOTIOR est adoptio ROMANA, quam ut mea indigeat interpretatione. persecuti sunt eam tum, qui de romanis antiquitatibus exposuerunt, tum maxime hoc argumentum exhauserunt IVRECONSULTI praestantissimi, de patria potestate commentati. constituebatur ea apud ROMANOS vel per iustas nuptias, vel per legitimacionem, vel adoptionem. adoptioni primam et praecipuam occasionem dederunt sacra priuata, quibus familiae discernebantur. nam familia fere quaelibet domesticis et patriis utebatur numinibus, quae maiori saepe honore et gloria, quam publica gentis adiciebat, arisque, facellis, victimis et sacris ritibus honestabat a). haec sacra priuata ut conseruarentur, si qui ex iustis vxoribus liberos haut sustulissent, ii adoptabant extraneos, qui tunc in sacra et gentem transire dicebantur. adcelerunt aliae causae, quas astus humanus inuexit. cum τῆ πολυκαρδία romani praemia propoluissent, ii, quibus numerus liberorum lege praescriptus deerat, ut honoribus potirentur, liberos sibi quaerebant adoptiuos. eadem fraude, si quis patricii ordinis tribuniciam potestatem ambiret, ut voti fieret compos plebeio se cuidam adoptandum dabat. distinguebant autem romani inter adrogationem et adoptionem stricte dictam, antiquissima fuisse videtur adrogatio, quae fiebat in comitiis curiatis, auctoritate pontificum, atque adrogati eodem loco habebantur, quo alias filii ex patre matreque familias nati, sequebatur enim adrogationem haereditas nominis, pecuniae, sacrorum. satis diu, hoc est, stante libera republica, obtinuit; ab imperatoribus vero saepius neglecta sensim oblitterata est. mansit tamen ad GALBAM vsque vetus solemnitas inter priuatos. adoptio stricte dicta, cuius subsidio liberi, in sacris paternis constituti, cuiuscunque sexus et aetatis in aliam familiam transirent, actio pariter legis fuit, peragenda apud praetorem aut praesidem certis solemnitatibus, scilicet trina venditione, adhibito aere et libera, erat et modus adoptandi testamentum, libera adhuc republica, iam receptus; at is non vera fuit adoptio, sed illius tantum simulacrum, cum enim adoptionis stricte dictae effectus esset patria potestas, in adoptione per testamentum praeter nomen et haereditatem nihil iuris in adoptiuum transit b), turbauit hos circulos IVSTINIANVS,

a) conf. SVMME VENER. MOSHEMIVS *instit. histor. christianae maioribus SAEC. I. p. 50.* et *commentariis de rebus christianorum ante CONSTANTINVM. M.*, hoc anno excusis, p. 6.

b) sequor illustrem quondam ICTVM, IO, GOTTL. HEINECCIVM, qui



ANVS, imperator romanus, iubens c), vt adoptatus ab alio, quam adscendente, non transfiret in alienam familiam et potestatem, et tamen ius successionis ab intestato consequeretur.

§. XV.


QVAE ex sacris litteris, et antiquitatibus tam graecis, quam romanis de adoptione humana differui, non alio consilio in medium protuli, quam vt lucem aliquam caperet adoptio diuina vniuersim spectata. de hac autem, seu diuina non habeo, quae huic considerationi generali subiungam, quam distinctionem illius in ecclesiasticam, spiritualem et gloriosam, *ecclesiastica* homines adscribit ecclesiae visibili, seu coetui eorum, qui verbi praedicatione vera, et sacramentorum administratione legitima vtuntur: *spiritualis* ecclesiae inuisibili, seu numero eorum, qui vera fide in CHRISTVM et incorrupto amore mutuo, tam capiti quam membris coniuncti gratia diuina fruuntur: *gloriosa* ecclesiae triumphanti seu coelitum laetissimo choro. primam adoptionem supponit secunda et tertia; primam et secundam tertia. nemo ecclesiae triumphanti adsociari potest, nisi qui prius ecclesiae visibilis et inuisibilis in his terris fuerit membrum; nec societatem ecclesiae inuisibilis sibi polliceri quis potest, nisi ecclesiae se antea visibili adiunxerit. patet inde quoque, triplicem hanc adoptionem realiter differre, et alteram sine altera esse posse. DEVS quidem pro immensa sua benignitate vult, cupit, exoptat, omnique studio, adfectu et conatu id agit, et intendit, vt omnes et visibilis et inuisibilis et gloriosae ecclesiae sint membra. sed hominum vitio et culpa fit, vt non omnes, qui ecclesiastica potiti sunt adoptione, ad spiritualem, nec omnes, qui cum ecclesiastica adoptionem spiritualem consequuti sunt, ad gloriosam adscendant, solet quidem vulgo vnus tantum adoptionis mentio fieri, et hoc nomine tacite comprehendi, quidquid de adoptione dici poterat, at latius videtur triplicem illam adoptionem separare, partim quoniam non conceptu solum, sed et re ipsa altera ab altera differt; partim quia dicta S. codicis immediate mox de hac vel illa tantum loquuntur, et ex intentione diuina ad suum quaeque sensum determinatum reuocanda sunt, quem non ab omnibus obseruatum esse, reor.


S. N. S. G.


qui copiose haec ex fontibus deduxit, *antiquitat romanarum iurisprudentiam illustrantium syntagmate*, p. 142. 162. sqq. edit. 1734.


c). vid. CODEX. L VIII. TIT. XLVIII. de adoptionibus LEG. IO. prius; §. I. 2. p. 564. 565. edit. corp. IVR. CIVIL. altenb. 1751.














BEATOS COELITES COMMISSA. 2y
s in cœlum, atqve ad thronum divinum fi-
perferentibus, non improbable est, beatos
nari. Quinimò à Deo ipso, cui in gloria
qvo nudæ cum nudo conversantur, nosse in-
res hujus orbis posse animas, quantum scire
co ex Scriptura vidimus. Id enim quanquam
verbis non legatur, quia tamen ipsi anima-
cum Deo, cum angelis, cum beatis conver-
videtur consentaneum, negari ideò non de-
ritatis est, etiam ea, quæ per bonam conse-
ris eruuntur, non minus esse ipsum Dei ver-
otidem in ea verbis habetur.

Repetii hæc argumenta ex Programme Ve-
ei, Exegeti Schomerianæ in Epistolas Catho-
ccedunt nunc suffragia vetustissimorum pa-
Ecclesiæ Patrum, itemqve virorum aliorum
erârunt in fide hic morituros, in altera vita
minisse tantum, sed apud Deum quoque pro
Origenem Seculi III. Patrem jam olim nolter
eà G.J. Vossius, tum D. Dreierus, initium fe-
trinæ, quæ animabus defunctorum notitiam
væ in hoc mundo aguntur, & curam pro ho-
Deum intercessionem adscribit, Neq id pro-
quanquam invocationem earundem, quam
Scriptores earum precibus pro nobis effusis-
simè removerit. De iis Origenis locis ad-
um ex instituto egit DN. Præles meus Tr. de
one Missarum in honorem Sanctorum celebrata.
Eodem seculo Cyprianus, Episcopus &
es visus est sententiæ illi de speciali Sancto-
am, quorum notitiam habebant, intercessionem
lâ juxta Anglicanam editionem LX. ad Cor-
i isthinc nostrum prior divine dignationis celeriter
severet apud Dominum nostra dilectio pro fratri-
ris, apud misericordiam Patris non cesset oratio.

D 2 QVÆ